

De exophthalmo ac struma cum cordis affectione : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendent auctor Ludovicus Koeben ; opponentibus O. Thamhayn, A. Praetel, C.H. Plath.

Contributors

Koeben, Ludwig, 1828-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis B. Schlesinger, [1855]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t854j4un>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

8 10.
DE
**EXOPHTHALMO AC STRUMA CUM
CORDIS AFFECTIONE.**

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FREDERICA GUERICI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. JANUARI A. MDCCCLV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS KOEBEN

LISSENSIS.

OPPONENTIBUS:

O. THAMHAYN, med. et chir. Dr., med. pract.

A. PRAETEL, med. Cand.

C. H. PLATH, med. Cand.

BEROLINI.

TYPIS B. SCHLESINGER.

10.

DE
EXOPHTHALMO AC STRUMA CUM
CORDIS AFFECTIONE.

DISSERTATIO INUICURALIS

MEDICAE

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

WURTEMBERGENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. JANUARIJ. A. MDCCCXXV.

M. L. G. S.

PUBLICAE DEFENDIT

AUCTOR

LUDOVICUS KORBEN

LISSENSIS

OPPOSITORES:

O. THAMMAYN, med. et chir. Dr.; med. pract.

A. PRÄTTEL, med. Cand.

C. H. PLATT, med. Cand.

REVOLVIT

TYPIS B. SCHLESINGER

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO

M. H. ROMBERG

SUMMAE VENERATIONIS SPECIMEN

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

6

Basedow primus fuit, qui ad illam complicationem vitii cordis et cum struma et exophthalmo animos advertit, quae vero observatio oblivioni tradebatur usque ad tempus, quo medici anglici eam reparabant, ita ut Basedow Germanis in memoriam revocare cogeretur, se jam autea haec observasse. Inde hic morbus saepius observatus est; quamquam vero et percussione et auscultatione, et explorationibus ophthalmoscopicis, et anatomia pathologica quaedam intellecta sunt, quibus hujus morbi singulos processus cognoscere possimus, tamen disquisitiones circa hanc rem minime sunt absolutae; virorum doctorum opiniones variant; alii alias rationes excogitaverunt, modo egregiis modo pravis observationibus suffultas. Nobis haec contemplantibus utilius visum est, hac in dissertatione non ea, quae jam alibi saepius relata sint, referre, sed casus minus notos describere,

ut observationibus amplificatis materiam ad morbum nostrum accuratius intelligendum suppeditemus.

Gratias vero quam maximas ago viro Illustr. Romberg, quippe qui singulari humanitate ac benevolentia semper semperque mihi subvenerit et, si quo consilio indigerem, omni in re affuerit; gratias etiam ago DDr. Stich et Klaatsch, viris optime de me meritis.

Casuum quinque, quos nunc referemus, primum et quintum in instituto policlinico, quod Romberg direttore maxime floret, observandi occasio nobis data est.

Historiam morbi, quam primam narramus, tametsi jam antea in dissertatione a M. Schoch explicata est, tamen hoc loco accuratius repetere placet, quippe qua et morbum praeclare demonstrare et cui sectionem addere possimus, cujus mentio tunc temporis fieri non potuit.

Adelheida Lorenz die prima mensis Octobris a. MDCCCLIII clinicum adiit; parentibus bene valentibus nata usque ad annum septimum, quamquam bona vale-

tudine usa est, tamen colore pallido et corpore exili fuit. Tum vero dolores in regione dorsali exarserunt, qui agitatione motuque corporis, non pressione, augebantur.

Quum aegrotata annum decimum et octavum ageret, doloribus illis remissis menstrua intrarunt, quae parcaerant neque ordinem debitum sequebantur; quae quum post biennium deficerent, aegrotata chlorosi affecta est; extremitates inferiores intumescebant.

Annum aetatis vigesimum et secundum ingressa nupsit viro, quo facto chlorosis sensim cedit, menses rursus apparent, partum illa nullum edit, bona valetudine utitur. Quum post septem annos, mortuo marito, animo magnopere perturbata ad vitam sustentandam strenuis laboribus se submittere cogeretur, ne fame et inopia vexaretur, accidit, ut et valetudo superiore tempore firmissima rursus labefactaretur et menses jam autea parci reprimerentur. Menostasia igitur exstitit; accedit, quod medicamentis drasticis a medico ad tae-niam expellendam datis vires ejus deminuebantur. Tunc palpitationes cordis apparuerunt, quae initio quidem nonnunquam affuerunt, postea vero manserunt

adeoque auctae sunt quovis graviore animi affectu, vel majore corporis motu, ut aegrola non raro mentis impositus redderetur. Oculorum obscuraciones, aurium susurrus, acerrimi capitis dolores ingruebant. Qui quidem status postquam totum per mensem perduraverat, aegrola, quum mane quodam e lectulo surrexisset, glandulae thyreoidea tumorem animadvertit, qui doloribus deficientibus continuo augebatur, praesertim ubi graviores erant cordis palpitationes. Elapso bimestri, quum diutius ambulasset oculis splendenti solis luci expositis, oculorum bulbos prominere videndique facultatem turbatam esse sensit. Anno dimidio praeterito, ad institutum policlinicum venit, ut auxilium peteret. Aegrola, annorum triginta duorum, gracilis staturae, erat mediae proceritatis, capillis flavis, pallido colore conspicua; mammae minimae pendebant et cuti arctius solito inhaerente obducebantur. Nos thoracem contemplantes et vi et frequentia cordis ictuum moti sumus. Percussione et auscultatione adhibitis, observavimus sonum vacuum patere debito latius, a tertia nimirum costa superiore sinistrorsum digitum latum a sterno usque ad spatium intercostale septimum; in parte dextra circa quintam

sextamque costam dimidium digitum ultra sternum cor prominebat; auscultatione circa cordis apicem strepitus quidam percipiebatur et systolicus et mediocris flatus, quem ad cordis basin haud animadvertimus, quippe in qua cordis soni essent acuti; minime vero idem in arteriis carotidibus locum habuit, in quibus flatus audiebantur. Illum strepitum in corde auditum non esse constantem, postea observavimus; modo enim percipi modo non audiri potuit, praecipue vero fuit exquisitus, si palpitationes cordis augebantur, ex quibus intelligi potest, illum intima necessitudine cum his contineri, quod idem dicendum est de bulborum prominentia; sed hac de re infra.

Struma praebebat tumorem mollem tactu et mobilem, qui utrobique aequabiliter excultus in utraque parte circiter digitum patebat. — Cui et stethoscopio et manibus impositis, clari ex eo stridores vel sussurrus resonabant, quos ipsa aegrotata se percipere haud negabat.

Oculi caerulei maxime prominebant, ita ut claudi non possent, quum inter palpebras duarum linearum spatium relinqueretur; pupilla oculi dextri fuit ovata, sinistri autem normalis.

In oculis observandis maxime apparuit diplopia, quae tamen, non omni statu bulborum animadvertenda, e mobilitate impedita oriebatur. Musculus enim rectus internus dexter plane immobilis videbatur, ita ut aegrotam ad interna visum dirigere jussa hoc facere non posset; musculi recti externi, et sinister et dexter, non normales quidem actiones praestabant, sed multo minus turbati inveniebantur; praeterea oculus dexter et sursum et deorsum minus facile poterat moveri, ita ut hic magis affectus videretur.

Cum his visus turbationibus vehementissima lacrymarum secretio conjuncta erat, quae maxime noctu aegrotam tantopere cruciabat, ut totas per noctes interdum esset insomnis.

Jam supra diximus, cordis palpitationes intimam cum bulborum prominentia necessitudinem alere; haec enim eo major erat, quo frequentiores ac vehementiores illae se ostendebant. Huc accedit, quod facultatis oculorum musculos movendi similis ratio erat; neque enim bulbi facile moveri poterant, ubi valde prominebant, et palpitationes erant vehementissimae.

Uterum deinde explorantes invenimus parvum, laxum,

tamque mobilem, ut non manifeste percipi posset, quo loco fundus uteri positus sit.

Sed ut ad curationem accedamus, initio aegrotae tinctura ferri pomati ad anaemiam tollendam data est et diaeta gravior, quoad quidem fieri poterat, imperata; deinde quum morbus ad meliorem statum non transiisset palpitationesque cordis auctae essent, ferri loco aceti digitalis quater per diem viginti guttae dabantur, quod postea, palpitationibus minutis, iterum ferri praeparata sequebantur; quo factum est, ut mensibus tribus praeteritis spes restituendae sanitatis major affulgeret: Menses enim jam extremo mense Decembri a. MDCCCIII redibant, paullo quidem aquosi neque uberiores; quod idem factum est extremo mense Januario, quo sanguis tam aquosam indolem non praebebat, quam antea; palpitationes cordis quiescebant, strepitus, qui antea circa cordis apicem audiebatur, evanescebat; color pallidus aegrotae colori rubro cedere coepit; bulbi in orbitas recedebant, ut palpebrae penitus committi possent; struma aliquantum decrescebat, non plane autem fugabatur et stridores etiam nunc percipi patiebatur; mammae etiam normalem turgorem recuperare coeperant.

Sed, quod dolendum est, spes rediturae sanitatis fuit inanis.

Mense Martio symptomata graviora quam antea recurrebant, menses cessabant, cordis palpitationes acriores fiebant, carotidum arteriarum pulsus frequentiam 120 ict. offerebat; bulbi magis quam prius prominebant; aegrotata praecipue nocte quæta est vehementissimos et assiduos capitis dolores; pedes eo tempore aliqua ex parte intumescebant; in urina, quæ jam antea et chemice et microscopice explorata est, nullum albuminis vestigium deprehendi potuit. Mense April: bronchitide affecta est, cujus symptomata ingravescebant ita, ut bulbi eo modo prominere, ut palpebris non obtegi possent, qua re mucus e conjunctiva catarrho affecta secretus arescebat; quod ne fieret, palpebrae per horas die noctuque emplastro adhaesivo anglico graviter concludebantur. Ut jam supra diximus, bulborum oculi mobilitas eo minor evasit, quo major prominentia, qua de causa hoc tempore erat fere nulla. Symptomata bronchitidis et percussione et auscultatione inventa in dies ita augebantur, ut aegrotata diebus octo elapsis mortem occumberet.

Interjecto biduo corpus mortuum sectioni submittebatur a Drr. Stich et Wilms et accuratiore exploratione

instituta haec sunt cognita: Cadaver erat strigosissimum; bulbi oculorum, qui inter agonem magis quam antea prominebant, post mortem in orbitas recesserant; glandula thyreoidea in utroque latere ovi anserini magnitudinem exhibebat atque persecta talem structuram praebebat, ut cellulae ejus, quarum tunicae paullulum condensatae observabantur, satis aequabiliter amplificatae essent et massam gelatinosam subrufam continerent; quarum nonnullae in utroque glandulae dimidio inventae multo majores erant reliquis, ita ut pisum vel fabam aequare viderentur. Viris thoracem aperientibus glandula thymus tam amplificata conspiciebatur, ut e duobus symmetriae convenientibus lobis composita esset, quorum uterque circa marginem medium pollicaris erat, sed circa marginem externum longitudinem pollicum trium et dimidii habebat; glandula ipsa crassitiem pollicis unius adaequabat. In pulmonibus, quorum bronchi catarrho affecti erant, atque liquorem partim serosum partim mucoso-purulentum continebant, parvi lobulares infarctus inventi sunt, quorum plures erant circa peripheriam, quam in partibus in medio sitis; glandulae bronchiales non tumebant, sed coloris ad nigrum vergentis erant.

Cor hypertrophicum apparebat, neque vero parietes erant spissati, ita ut ventriculi aequabiliter extensi essent atque circa tertiam partem plus sanguinis complecti possent, quam ventriculi normalis amplitudinis; endocardium pariter densatum erat; neque valvulae insufficientiam ullam exhibebant, neque in arteria aorta vel in aliis vasis quidquam vitiosi perspici poterat; qualia vasa essent intra cranium posita, intelligere non licuit, quum consanguinei mortuae feminae cranium aperiri recusarent.

Bulbus dexter, qui cum omnibus, quae eum circumdabant, extirpabatur, praeter omnium opinionem minor solito videbatur, neque valde extensus; partes intimae bulbi et orbita nullo modo commutatae erant, quod aliter se habuit in orbita sinistra, in qua et acervus quidam adiposus flavo sulfuris colore pone bulbum positus erat, et vasa majorem circuitum praebebant. In ventris organis nihil reperiebatur, quod memoria dignum esset, neque glandulae lymphaticae neque lien aut hepar ullam alterationem pathologicam ostendebant.

Uterus, cujus fundus in retroversione versabatur, qualis jam aegrotata vivente exploratus erat, parvus et laxus erat, qui hac aetate esse non solet; ovaria parva

stigmata, aetate superiora neque, corpora lutea recentiora monstrabant.

Alter casus observatus est a mense Octobris anni h. s. LI usque ad mensem Januar. anni MCCDCLII in instituto clinico Bonnensi. —

Aegrotus, qui pecuariam rem faciebat atque eam agens saepius caloris frigorisque injuriis tentabatur, usque ad vitae annum quinquagesimum bona valetudine usus, neque cordis palpitationibus neque glandulae thyreoideae alterationibus affectus est. Anno et dimidio post morbo correptus est, qui symptomata rheumatismi acuti praebuisse dicitur; tum factum est, ut sanguinis circulationis perturbatio restitaret; eodem tempore bulbos prominere atque in regione media colli tumorem evolvi aegrotus sentiebat. Postea doloribus saepius affectus est, qui artubus insidentes rheumatici putabantur, bulbi oculorum magis magisque prominebant neque palpebris obtegebantur, ita ut cornea aegroto dormiente tota cerneretur et sensim obnubilari coepisset, qua de

causa visus restringebatur. Tali rerum statu aeger mense Octobr. in institutum clinicum receptus est, ubi exploratione accuratiore facta haec sunt cognita; cordis soni non integri circa cordis sinistri apicem percipiebantur, atque cor magnopere hypertrophicum deprehendebatur; arteriae omnes circa peripheriam sitae durae sentiebantur; struma singularum partium pro mera hypertrophia habebatur, neque vero exophthalmus augmento bulbi ortus putabatur. —

Ad has res sanandas et Jodum et Digitalis, nisi fallor, data sunt, minime vero expectationi satisfecerunt; tribus mensibus praeteritis, symptomata arteriitidis universae apparebant tam gravia, ut aegrotus diebus paucis post vita decederet. Quominus corpus mortuum secaretur, multa erant impedimenta, quum fidei Iudaicae aeger addictus fuisset, neque propinqui sectionem effici vellent. His tamen superatis, reperta est cordis hypertrophia maxima cum parvis exsudatis inveteratis multis in locis endocardii, neque in valvulis solis, sed etiam in membranis internis arteriarum color rubicundus, cujus ramificationes subtiliores persequi non licuit; in orbitis acervum adiposum repererunt, quo bulbi premebantur;

glandulae thyreoideae hypertrophia mera patebat ad singulos acinos. —

Casum hunc tradidit Neumann*).

Lanius quidam, quinquaginta novem annos natus, rheumatismo acuto affectus erat, qui symptomata affectionis organicae cordis relinquebat. Tum struma excoli coeperat, postremo bulbi oculorum prominebant, eo quidem modo, ut corneae lineas quinque positae essent ante palpebrarum margines, qui ectropium formabant et ulcerosis crustis luxuriantibus vestiti erant; hae crustae diebus quattuordecim elapsis defluebant et quatuor vel quinque post dies reparabantur; compositae erant e substantia amorphae, granulis, cellulis epithelialibus, multoque adipe. Videndi facultas eo tempore, quo crustae maximae erant, aliqua ex parte aderat, nulla autem, si illae minimae. Conjunctivae multis vasis pertextae erant, corneae proprium languidum colorem offerebant, pupillae contractioni obnoxiae erant.

Medicationis gratia imperata sunt infusum herbae digitalis et acida, deinde lotiones et locales sanguinis

*) Amtlicher Bericht über die 29. Versammlung der Naturforscher und Aerzte in Wiesbaden.

detractiones, quibus praecipue symptomata et vitii cordis et strumae cedebant; minime vero hic prosper eventus perstitit; mox enim pulsatio quaedam in epigastrica regione circa latus dextrum observabatur, symptomata pejora reddebantur, ita ut aegrotus tandem meningitidis irruentis vi opprimeretur.

Corpore mortuo inciso patebat, hypertrophiam glandulae thyreoideae reducendam esse ad vasa dilatata (quae eadem in cerebro hanc conditionem offerebant) orbitasque posteriores repletas esse adipe, qui bulborum oculorum prominentiam effecerat; qualis esset cordis conditio quum quaereretur, nihil hac de re traditum est.

Eg e b e r g *) mulierem observavit, cujus menses partu secundo edito defecerant; aegrotam ingente macie torrida erat, bulbi oculorum prominebant, neque vero voluminis solito majoris erant. In dextro latere colli tumor strumomus exquisitus erat, qui pugni hominis adulti amplitudinem habebat; inter eum et cutem arteriarum ramificationes cernebantur (quarum pulsui strepitus singulatim vibrans adjunctus erat), nec non venarum magnarum, quae usque ad pectus patebant; mammae atrophicae

*) Canstatt's Jahresbericht. 1851. 3. S. 12.

apparebant, cordis ictus vehementior, primus cordis sonus protrahebatur atque aliqua ex parte cessabat; respiratio vesicularis sub clavicula sinistra levior audiebatur quam sub dextra, percussione adhibita animadvertebatur sonus vacuus, et circa cordis regionem et super spinam scapulae sinistrae debito latius patens.

Qualis fuerit hujus casus eventus et quaenam cadaveris sectio obtulerit, traditum non est.

Jam ad aegrotae quintae historiam narrandam accedamus. Observavimus feminam, quae sanguine abundans struma, praecipue ad latus dextrum patente, affecta erat, quo ex tempore levem raucedinem atque impedimentum exiguum cibos deglutiendi sentiebat. Annum decimum et quintum agenti menses fluere coeperant, qui copiosi semper erant debitumque ordinem sequebantur, sed ante biennium cessabant; menostasia per annum protracta, redibant, sed rariores quam antea; anaemia existebat, tum struma, quam diximus, atque eodem tempore exophthalmus levioris formae. Quamquam hoc tempore bulborum prominentia parva vel nulla est, tamen antea prominuisse illi dicuntur.

Palpitationes cordis sunt rarissimae et tum demum observandae, quum aegrotata summae contentioni se submitit; neque percussione neque auscultatione commutationes pathologicae cordis vel pulmonum animadvertuntur. Curandi causa initio quidem imperatum est kali hydrojodicum, tam ad usum internum quam externum, postea vero ferrum jodatum, idque prospero eventu, quoad hoc quidem tempore judicare licet.

Priusquam ad hujus morbi aetiologiam animum advertamus opinionemque nostram explanemus, necessarium esse nobis videtur, ut ea breviter complectamur, quae ex his quinque casibus redundant.

In omnibus enim, quos retulimus, symptomata morbi ita se exceperunt, ut primo cordis vitia observarentur, tum struma evolvi inciperet, deinde bulbi prominere, quem ordinem omnes fere auctores, qui hac de re scripsere, animadverterunt, quamquam necessarium non est, ut hoc solo modo symptomata existant; accedebant anaemia (vel sanguinis abundantia) et mensium anomaliae; uno in casu arteriae durae sentiebantur; superveniebat omnibus ad feminas pertinentibus casibus mammarum

atrophia; qualis fuerit testium conditio apud viros, quod nos quidem novimus descriptum non est.

Cordis vitia aegrotis viventibus praecipue palpitationibus et flatibus cognoscebantur, nec non percussione; corpore secto cor hypertrophicum inventum est, commutationibus endocardii organicis adjunctis, valvulae vero sufficientes, quod alii autores aliter tradunt; Basedow enim reperit cor perquam adiposum, musculorum expers, valvulas circa ostia venosa insufficientes.

Num in tumoribus strumosis, de quibus nos retulimus, auscultatione adhibita flatus vel stridores auditi sint, primo excepto non indicatur; mutationes pathologicae praebebant et hypertrophiam acinorum singulorum et angiectasias. Marsh retulit, glandulam thyreoideam multas cystides sero claro completas continuisse; Heusinger descripsit glandulam fere duplo dilatatam sed hypertrophiam aequabiliter extensam, sine ulla formae ratione parum conveniente.

Exophthalmus deinde tertio loco apparebat. Varias sunt rationes, quas viri doctissimi de hac re protulerunt. Ut supra diximus, his in casibus incrementum voluminis bulborum oculi non aderat, sed e contrario bulbi minus extensi videbantur, quam quam infitiandum non est, aucto-

res et locupletes quidem observasse bulbos eo modo auctos, ut humor aqueus vel vitreus vasis amplificatis vel dilatatis solito longe uberior esset. Heusinger bulborum magnitudinem et membranarum structuram normalem, glandulas lacrymales dimidio imminutas reperit. Marsh exophthalmum invenit. Omnes vero consentiunt, pone bulbos magnam adipis et telae cellulosaee accumulationem inveniri, quae densa, sebo bovillo similis, coloris flavi sit, et causam bulborum prominentiae gravem et mechanicam quidem praebeat; neque vero solum pone bulbos adeps accumulatus est, sed etiam in tela cellulosa partibusque bulbos circumdantibus; qua re alii auctores opinionem tuerentur, bulbos ea de causa prominere, quod oculorum muscoli aut tunica eorum aponeurotica aut omnia, quae bulbos tenent, adipe interposito laxentur, velut uterus prolabatur laxatis ligamentis. Meckel deinde, vir clarissimus, reperit substantiam musculorum oculi cujusdam ad explorationem microscopicam traditi fere amissam et in adipem commutatam, quod idem prominentiae favet.

Certe vero errore non tenebimur, si omnia haec, quibus bulborum prominentia gigni potest, ad affectionem nervi sympathici reducamus; neque enim infitiri licet,

ea in nutritionis anomalia cerni, quae sententia iis quoque firmatur, quae ophthalmoscopicis disquisitionibus observata sunt; qualis tamen nervi sympathici affectio sit, hoc tempore nondum illustratum est; affectio enim potest esse localis aut universalibus causis orta, quod idem nobis maxime arridet; sed de his postea. Si sententiam adoptamus, affectionem esse localem, causam ponimus in struma, ita ut haec nervum sympathicum comprimat irritetque. Fieri vero posse, ut nerv. sympath. compressione organi hoc loco positi irritetur, docet illa historia morbi, quam Felix v. Willebrand narrat*), qui aegrotum curavit, cujus pupilla dextra maxime contracta erat; eum explorans in latere dextro colli glandulas lymphaticas hujus regionis induratas atque hypertrophicas invenit, quo factum est, ut musculus dilatator iridis debilitatus esset, quum glandulae tam commutatae nervum sympathicum compressissent; hac conditione depulsa, iris normalem ad formam reducebatur.

Memoremus deinde observationes illas, quibus probatur, pupillam dilatari posse, si locum certum medullae spinalis irritaveris, quo Budg e putat nervum sympathicum e

*) Archiv für Ophthalmologie von Dr. v. Gräfe. I. Band, I. Abtheilung. S. 319.

medulla spinali oriri; quas observationes R. Wagner repetiit, qui et columnam vertebrarum et medullam forfice ossifraga perscindebat et inter sectas partes laminam vitream interponebat; tum ganglion cervicale supremum vulsella irritans effecit, ut pupilla dilataretur et bulbus prominere. Ex quibus observationibus, quamquam ad ea symptomata, quae antea posuimus, non pertinent, tamen conjectura petenda est, irritationes nervi sympathici partis cervicalis eo modo, quo in mobilitatem iridis bulbique vim habeant, rebus secundis ad nutritionem oculi plurimum conferre, quae in hoc morbo, ut intelleximus, maxime turbata est; quam ad turbationem adipis accumulatio, vasorum dilatatio, muscutorum membranarumque relaxatio, humoris aquei vel vitrei vel augmentum vel defectus, partium internarum bulbi commutationes ophthalmoscopio observatae etc. referenda sunt.

Quae quum ita sint, liceat theoriam profiteri, exophthalmum oriri ex affectione nervi sympathici, ad compressionem struma effectam reducenda. Quamquam minime diffitemur, symptomata hujus morbi non semper eum ordinem sequi, quem diximus, sed exophthalmum prius observari posse quam strumam, certe negari nequit, illum ordinem esse multo frequentiore et casus, in

quibus symptomata aliter se excipiant, morbi imaginem exquisitam saepe non praebere.

Neque vero exophthalmus solus in nervi sympathici affectione positus esse nobis videtur, sed dyscrasiam ipsam, quam nos dicimus Glotzaugendyskrasia, ad eum reducendam esse, cum lectorum venia opinamur. Probe scimus, hanc sententiam profitentes obscurissimam neuropathologiae regionem nos adgredi, neque ideirco ad hujus morbi definitionem propius accedere, quam alii auctores accesserint, qui exempli gratia morbum ex anaemia oriri judicant. Nonnullas tamen res proferre nos posse censemus, ex quibus perspici queat, nostram sententiam non esse prorsus rejiciendam.

Quo longius praeteriit tempus, ex quo prima hujus morbi singularis descriptio edita est, quo plures ejusdem casus sunt observati et comparati, eo certius apparere videtur, synchronicam aegrotationem tot organorum, ad systemata maxime diversa pertinentium: oculorum, glandulae thyreoideae, cordis, mammarum, uteri, non fortuitam esse combinationem, sed de nexu legitimo cogitandum. Summa cum probabilitate judicabimus, focum quendam, locum centralem existere, ex quo omnes singulorum organorum aegrotationes proficiscantur.

Anaemia enim nostra quidem opinione non intelligenda est prima morbi causa, certe enim efficitur nervorum systematis affectione universa; quoniam vero eam nutritionis anomaliam praecipue habemus, ad nervi sympathici affectionem nostro jure referimus. Rheumatismus vero vel animi curae sollicitudinesque maxima ex parte huic anomaliae antecedunt, causae, quae, ut reactione physiologica talem turbationem efficiant, sane aptae sunt. Si igitur primam affectionem nutritionis turbationem apparere statuimus, symptomata hujus morbi ex ea facile repetenda sunt. Videmus hepar hypertrophicum, lientem saepe triplo amplificatum; videmus commutationes pathologicas cordis, hypertrophiam, adipis accumulationem, endocardii densationem, quae omnes alienationes ad nervi sympathici paralysin reducendae sunt; videmus porro tumorem strumosum, cujus structuram eadem nutritionis turbatione gignitur; atque eadem de causa vasa vel dilatata vel indurata, videmus deinde exophthalmum, quem supra fusius exposuimus, videmus denique mammarum atrophiam constantem, cui genitalium partium functionis anomalia adjuncta est.

Quae quum ita sint, haud poenitet, sententiam adoptasse, hunc morbum gigni affectione nervi sympathici

et partis ejus cervicalis quidem; nam e gangliis cervicalibus tribus nervi patent ad cor (nervus cardiacus superior, medius, infimus) ad glandulam thyroideam (nervi qui arteriam thyroideam inferiorem filis circumtextunt,) ad mammas (nervi qui arteriam mammariam internam comitantur), ad oculos bulbos (nervi qui ex plexibus arteriae carotidis internae orti arteriae ophthalmicae se adjungunt).

Quae fuerit causa, quod cordis vitii symptomata prima observarentur, si quis interroget, ea de causa hoc fieri mihi videtur, quod cordis actio major insigniorque sit, quam organorum aliorum, quae diximus; tum enim eveniet, ut vitia organi multo prius intelligantur. Sin autem cordis actio est perversa, sanguis quoque normalem indolem habere nequit, quamobrem anaemia oritur; tum accidit, ut nutritio aliorum organorum, etiamsi nervo sympathico cervicali non gubernentur, dispositione praecipue vigente, offendatur. Glandulae thyroideae et oculorum bulborum commutationes referendae sunt partim ad sanguinis abundantiam, qua organa ad eas facile vergunt; partim et in primis quidem ad nervi sympathici cervicalis innervationem perversam, quae, ut jam aetiam diximus, tumoris strumosi pressione lam-

plificari potest ita, ut intelligamus, cur plurimis in locis exophthalmus post strumam evolvatur.

Mensium turbationes genitaliumque internorum anomaliae a mammarum affectione praecipue pendere mihi videntur. Quemadmodum enim mammae vis mutuae causa commutantur, si partes genitales irritationi submituntur, ita vicissim hae turbantur, si illae processu pathologico quodam afficiuntur; nisi forte existimes turbationes, quas diximus, sanguinis conditione anaemica sola effici, quod mihi minus probabile videtur. Si quis vero dicat, genitalium anomalias prius conspici quam mammarum atrophiam, respondendum est, harum affectionem longo ex tempore in internis partibus praevalere posse, priusquam atrophia manifestetur, et certe saepissime a medicis negligi.

Deinde, quod maximi momenti esse nobis videtur, mortis genera respicienda sunt; aegrotæ, de qua primum retulimus, bronchitidis symptomatibus mortua est; res vero caderant, quae sententiam tuentur, nutritionis anomaliam in bronchiis oriri e morbo nostro; quod idem dicendum est de aegrotis aliis, quorum unus arteriitidis universae, alter meningitidis signis vita decebat.

Denique, cur vis perniciosa nervi sympathici partem

cervicalem ipsam neque aliam afficiat, non magis intelligitur, quam cur vi externa influente corporis humani aliqua pars offendatur, nisi forte minoris resistentiae locum esse arbitraris.

Quod deinde ad curationem pertinet, jam prius medicamenta diximus, quae bonum eventum praebent, si processus pathologici non eo usque progressi sint, ut illa efficacitate destituantur. Quum enim dubium non sit, ferrum nutritionis turbatione vigente aegrotis datum salutiferum esse, hoc in morbo ipso medicamentum est, quod rebus secundis opem ferre potest; sin vero cordis vitii symptomata praevalet, herba digitalis interponenda est.

Haec sunt igitur, quae hoc de morbo explananda nobis videbantur; quod quatenus nobis contigerit, et num satis perspicue rem propositam illustraverimus, lectorum benevolentiae dirimendum committimus.

LITTERATURA,

v. Basedow, Caspers Wochenschrift 28. März 1840
und 2. Dec. 1848.

Begbie, the monthl. Journal of med. sc. Februar 1849.

Brück, v. Ammons Zeitschrift Bd. IV. 1835.

— — Caspers Wochenschrift 11. Juli 1840 und 29.
April 1840.

Cooper, Lancet 26. Mai 1849.

Graves, on clinical medicine p. 674.

Henoch, Caspers Wochenschrift 23. Septbr. 1848.

— — Canstatt, spec Path. und Ther. V. Suppl. Band
S. 23.

Heusinger, Caspers Wochenschrift 1851 S. 29.

Lubarsch, Caspers Wochenschrift 1850 S. 60.

Marsh, Dublin Journal of med. sc. vol. XX.


M'Donnel, Dublin Journal of med. sc. vol. XXVII.
S. 200.

Neumann, amtlicher Bericht der 29. Versammlung der
Naturforscher und Aerzte zu Wiesbaden.

Pauli, Heidelberger Annalen 1837 III. 2.

Romberg, Klinische Wahrnehmungen und Beobach-
tungen. 1851. S. 178.

Schoch, Dissertatio inauguralis. 1854. Berlin bei
Schade.



Casper de medicina forensi; Exp. Remak de histologia et anatomia microscopica.

Exercitationibus practicis me instituerunt:

Ill. Müller et Ill. Schlemm arte cadavera rite servandi,

Exp. Gurlt arte fascias recte imponendi.

Clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmicis, obstetricis,

interni virorum Ill. Col. Exp.: Leubuscher, Romberg,

Schäfer, Wolff, Langenbeck, Jäger, Simon,

V I T A.

v. Gräfe, Busch.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago

quam maximas.

Jam vero tentaminibus tam philologicis quam medicis et

Natus sum ego Ludovicus Köben die XVI mensis Octobris a. h. s. XXVIII Lissae, patre Adolpho, matre Bertha, e gente Chrambach, quos Dei benignitate adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum Iudaicae.

Primis litterarum elementis in schola civili urbis patriae imbutus gymnasium adii Joachimicum Berolinense rectore Meineke per sex annos; morbo tum affectus id reliqui atque in gymnasio Werderano abiturientium examen superavi.

Maturitatis testimonio ibi instructus paschali tempore anni MDCCCL hanc almam petii Fridericam Guilelmam et ab Ill. Busch, Rectore magnifico, numero civium academicorum adscriptus apud Ill. Casper, illo tempore gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum, nomen professus sum.

Per novem semestria hisce scholis interfui;

Philosophicis:

Ill. Schultz-Schulzenstein de botanice, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Weiss de mineralogia, Ill. Mitscherlich de chemia, Ill. Dove de physice, Exp. Leubuscher de psychologia, Ill. Trendelenburg de logice.

Medicis:

Ill. Joh. Müller de anatomia corporis humani, de anatomia comparata, de physiologia, Ill. Schlemm de syndesmologia, Exp. Meckel de anatomia pathologica, Exp. Simon de pathologia generali, de morbis cutis et syphiliticis, Ill. Romberg de pathologia speciali, Exp. Hensch de morbis infantium, Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. Langenbeck de chirurgia et aciurgia, Exp. Gurlt de fracturis et luxationibus, Exp. Traube de auscultatione et percussione, Exp. Credé de arte obstetricia et de mulierum morbis, Ill.

Casper de medicina forensi; Exp. Remak de histologia et anatomia microscopica.

Exercitationibus practicis me instituerunt:

Ill. Müller et Ill. Schlemm arte cadavera rite serandi, Exp. Gurlt arte fascias recte imponendi.

Clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, interfui virorum Ill. Cel. Exp.: Leubuscher, Romberg, Schönlein, Wolff, Langenbeck, Jüngken, Simon, v. Gräfe, Busch.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES.

- I. Morbum in hac dissertatione adumbratum positum esse in nervi sympathici cervicalis affectione.
- II. Nerv. Glossopharyngeum et Quintum esse nervos gustatorios.
- III. Famem esse neuralgiam nervi Vagi.
- IV. Variolas veras, varicellas, variolas modificatas non esse diversas, nisi forma.
- V. Specillum uterinale esse necessarium ad morbos mulierum explorandos.
- VI. Syphilidisationem esse rejiciendam.
- VII. Vim Chinoidei et Chinini ad febrim intermittentem pellendam esse eandem.